



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

VII. De decimis ecclesiae reddendis, de ouibus & porcellis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

V.

Vbicumque reus vel noxius ad ecclesiam præfidii causa confugerit, ex quo atrium ecclesiæ tenuerit, a nemine insequente nullatenus apprehendatur, nisi per pontificem vel ministros eius. Quod si fugiendo domum sacerdotis, vel curiam eius intrauit, eamdem securitatem & pacem habeat quam & apud ecclesiam, dum tamen domus sacerdotis & curia eius in fundo ecclesiæ consistant. Hic si latro vel raptor est, quod male cepit (si ad manum est) reddat: & si illud penitus extirpauerit, & de suo proprio vnde reddat habuerit, in integrum ei cui damnum intulit restituat. Quod si more solito latro taliter egerit, & forte fortuito ad ecclesiam & sacerdotum domos frequenter euaserit, ablatione restituta, prouinciam forisiuret, nec redeat: & si forte reditum fecerit, nullus eum hospitari præsumat, nisi a rege data licentia.

VI.

Si quis vero sanctæ pacem ecclesiæ violenter infregerit, episcoporum est iustitia. Quod si nocens sententiam eorum diffugiendo vel arroganter contemnendo despexerit, clamor de eo deferatur ad regem post quadraginta dies, & regis iustitia mittet eum per vadimonium, & plegios (si habere poterit) vsque dum Deo primitus, regi & ecclesiæ postea satisfaciat. Qui si infra triginta & vnum dies, siue per amicos aut notos, siue per iustitiam regis inueniri non poterit, vtlagabit eum rex verbo oris sui. Si vero postea repertus fuerit, & retineri possit, viuus regi reddetur, vel caput eius, si se defenderit: lupinum enim gerit caput a die vtlagationis suæ, quod Anglice *Vulfesheofod* dicitur. Et hæc est lex communis & generalis de omnibus vtlagatis.

VII.

De omni annona decima garba Deo debita est, & ideo reddenda. Et si quis gregem equarum habuerit, pullum reddat decimum; qui vnam tantum vel duas habuerit, de singulis pullis singulos denarios. Similiter qui vaccas plures habuerit, decimum vitulum; qui vnam vel duas, de vitulis singulis obolos singulos. Et qui caseum fecerit, de Deo decimum; si vero non fecerit, lac decimo die. Similiter agnum decimum, vellus decimum, caseum decimum, butyrum decimum, porcellum decimum.

VIII.